



Universitätsbibliothek Paderborn

Acta Ecclesiae Mediolanensis

Actorvm Ecclesiae Mediolanensis, Pars Tertia - In Qva, Liber Memorialis Ad
populum Ciuitatis, & Dioecesis Mediolanensis, A Beato Carolo Borromaeo
Titvli Sanctae Praxedis compositus continetur

Borromeo, Carlo

Brixiae, 1603

Continuatio prima sessionis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10502

uitate; iussu Illustris Archiepiscopi editū est, vt ad Tabellæ Synodalis præscriptum, è sessionali loco abirent. Sessione ergo absoluta, ex suggestu euulgata est.

Ne quisquā è loco ante discedat, quam Illustrissimus & Reuerendissimus Archiepiscopus è Synodo abierit: nec verò raprim, turbulenterve; sed grauitè, decoroq̃ue incessu.

Capitula verò, & clerici Ecclesiarum Collegiatarum, vt collegiatim conuenerunt, eodem ordine è Synodo discedant prælata Cruce: quo eodem modo redeant hora indicta.

Caveant denique omnes, quæcūque & Ecclesiasticæ disciplinæ, & Synodalis actionis dignitati, & loci venerationi minimè conueniant.

Continuatio primæ sessionis.

A Prandio stata hora indicta, & sono medix campanæ per spatium medix horæ significata, Illustrissimus Archiepiscopus cappa indutus, à Reueren. Capitulo & Clero vniuerso Metropolitanæ ad Basilicam Metropolit. deductus est: ac primùm vespèrarum & completorii officio perorato, cui interfuit totus Clerus, & præcipuè Canonici collegiatarum, Illustris Archiepiscopus pluviale, & mitram pretiosam, & Capitulum pretiosa paramenta induerunt, & in sessionalem locum descenderunt: ibique stata oratione Adsumus recitata, omnibus ordine confidentibus, ac silentio indictō, iussu Illustrissimi Archiepiscopi Cancellar. suggestum ascendit, & primò de Cleri vocatione, de scrutinio, de cathedratico, & de examinatoreibus, & Iudicibus, ordine, & modo infra scripto actum est.

Instantia promotorū de clero vocando.

Illustris. & Reuerendiss. Pater,
& Domine.

Sancitum est Conciliis generalibus, & præcipuè Concilio Tridentino, vt omnes Ecclesiastici viri, qui de iure, vel cōsuetudine Synodo diœcesanæ quæ quotannis celebratur, etiam exempti, interesse debent si negligentes fuerint.

Pars I I I.

pœnas sacris canonibus sancitas incurrant: Quamobrem eos omnes ex suggestu publicè vocari; & successiuè scrutinium à patribus sapienter institutum haberi humiliter petimus; Ecclesiasticosq̃ue viros sanctæ disciplinæ eruditos eligi, qui scrutinio diligenter incumbant; & Parochos Cathedralicum iuræ diœcesanæ debitum persolvere instamus.

Lecta que fuerunt decreta vt infra.

Decretum de scrutinio.

Scrutinium Synodale, à patribus sapienter atque ex vtilitate Synodi institutum, iam aliquando intermissum, per nos adiutrice diuina gratia ad usum cōsuetudinemque reuocatum, hodie cum solenni vocatione Cleri in continuatione sessionis pomeridianæ rectè per eiusdè scrutinii præfectos agi decernimus, atque edicimus; ideo omnes & singulos, qui officii recitandi lege adstricti sunt, Breviarium nuper editum, cum Calendario afferre, & exhibere iubemus.

Decretum de præfectis scrutinii eligendis.

Scrutinii Synodalis præfectos deligimus venerabiles Sacerdotes, visitatores nostros in vrbe, pro ratione regionum portarumve N. P. orien. N. visitatorem primæ regionis N. secundæ regionis &c. Qui pro sua quisque timorata, religiosaq̃ue conscientia, postpositis omnibus humanis affectibus, in veritate, & sinceritate, & æquitate, iustitiaque, suo constituto loco scrutinium agant ad præscriptum Tabellæ de scrutinio Synodali, ad usum huius Synodi iussu nostro editæ, quam scrutinii præfectis distribui mandamus, vt & ipsi muneris sui partes intelligant, & Clerus vniuersus de quo scrutinium agi constituimus, non in respondendo solum, verum etiam in exequendo, se tales præstent, quales eos esse scrutinii diligentis ratio deposcit.

Decretum de Clero vocando.

Mox vocabuntur omnes & singuli, quicunque sint, qui huic Synodo

M

diœ-